MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80081-6

AUTHOR: SAAL, NICOLAUS

TITLE: DE APPIO CLAUDIO CAECO....

PLACE: KOLN AM RHEIN

DATE: [1842]

Master Negative #
91-80081-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Saal, Nicolaus, 1810-
...De Appio Claudio Caeco commentatio historica, scripsit Dr. N. Saal... Köln am Rhein, Bachem, [1842].
26 p. 30 cm.

Einladungschrift...des Katholischen gymnasiums zu Köln...1842.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 13½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-26-91 INITIALS M.B
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202







Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Einladungsschrift

zu der

öffentlichen Prüfung der Schüler

des

katholischen Gymnasiums zu Köln,

am 31. August und 1. September 1842.



Inhalt: De Appio Claudio Caeco commentatio historica. scripsit Dr. N. SAAL.
Schulnachrichten vom Direktor, Prof. E. J. Birnbaum.



Köln am Rhein.
Gedruckt bei J. P. Bachem, Hof-Buchhändler und Buchdrucker.

DE APPIO CLAUDIO CAECO

COMMENTATIO HISTORICA.

SCRIPSIT

Dr. *N. SAAL.*

Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuaeque rei publicae quod imitere capias: inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites.

Livius in praefatione.

PRAEFATIO.

Saeculo ab Urbe condita quinto, quum et foris bella illa acerbissima cum potentissimis Italiae populis de dominatione a Romanis suscepta saevirent, neque domi certamina de communicandis cum plebe honoribus ita ad finem essent perducta, ut discordia ex civium animis prorsus evanuisset, multi iique gravissimi exstiterunt viri, qui rebus domi bellique praeclare gestis rem publicam sublevaverunt et egregia sua virtute immortalitatem sibi pepererunt. Quorum in numero inprimis conspicuus est Appius Claudius Caecus.

Fuit enim vir plenus consilii atque eximia animi gravitate; tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos; vigebat in eius domo mos patrius et disciplina, et quanquam in defendenda optimatium causa plerumque fuit constantissimus et ob acres cum nobilitate plebeia contentiones saepe invidiosus, tamen permultis et magnis suis de re publica Romana meritis nobilem sui memoriam cum apud suae aetatis homines tum apud posteros reliquit.

In cuius viri egregias virtutes quum altius inquirerem veterumque scriptorum fontes adirem, multa a viris doctis, qui in vita eius illustranda curam posuerunt, aut neglecta aut ordine non satis iusto disposita esse vidi, ut post G. Grotii, B. Rutilii, Niebuhrii et Drumanni operam denuo rem accuratius tractare, et data scribendi opportunitate discipulis, quibus veterum Romanorum historiam anno superiore enarravi, exemplum Romani ingenio, magnitudine animi, amore in patriam excellentis proponere in animum induxerim.

In qua commentatione scribenda minus id spectavi, ut res novas et incognitas explorarem exploratasque in lucem proferrem, quam ut, quaecunque in rem essent diligenter collectis, iuvenibus, qui hisce litterarum studiis initiarentur, pro mea parte consulerem eorumque discendi studium vel adiuvarem vel excitarem.

DE APPIO CLAUDIO CAECO.

Familiae Claudiorum patriciae origo repetenda est ab Appio Claudio illo Sabino, qui paucis annis post exactos Roma reges ab Regillo, magna clientium comitatus manu, Romam transfugerat et in principum dignationem venerat. [1])

Iam primum omnium satis constat, hanc Claudiorum gentem inde ab antiquissimis illis patrum cum plebe certaminibus maxime invisam infestamque fuisse plebi Romanae, eamque superbissime ac crudelissime in plebem Romanam se gessisse.

---

1) Liv. II. 16. Sueton. Tib. 1 init.

Omnes Claudii, ut Suetonii verbis (Tib. 2.) utar, optimates assertoresque unici dignitatis ac potentiae patriciorum fuerunt, atque adversus plebem adeo violenti et contumaces, ut ne capitis quisquam reus apud populum mutare vestem aut deprecari sustinuerit, nonnulli in altercatione et iurgio tribunos plebis adeo pulsaverint. Quo factum est, ut gens Claudia superbissima ac crudelissima haberetur usque ad Ciceronis et quae secuta sunt tempora. [1]

Hic superbus imperiosusque Claudiorum animus in Appium quoque Claudium Caecum, de quo scribere instituimus, transiit.

Appius Claudius Crassus [2] filius fuit *Caii Claudii Crassi* [3], *Appii Claudii Crassi* [4] nepos, *Appii Claudii* decemviri abnepos. Cognomen *Caeci* Appius Claudius Crassus aetate iam provectiore nactus est, quia multis annis post censuram ob corruptam Potitiorum gentem Herculi sacram et sacrorum eius ritum ad humile servorum ministerium translatum Deorum, ut credebatur, ira caecitate affectus est.

Cum nemo veterum scriptorum memoriae tradiderit, quo anno Urbis conditae Appius Claudius natus, quo mortuus sit, in definienda eius aetate acquiescendum nobis erit in Ciceronis testimonio (de senect. 6. 16) dicentis, egisse eum censuram antequam consul fuisset (quae censura incidit in annum ab U. c. 442, a. Ch. 312), eumque anno U. c. 474 (a. Ch. 280) tempore belli cum Pyrrho rege adhuc inter vivos fuisse, sed aetate grandem.

Incidit igitur Appii Claudii vita, ut in praefatione indicavi, in illa rei publicae Romanae tempora, quibus Romani iam fere cessantibus, sed nondum ad finem perductis patrum cum plebe discordiis, gravissima cum pluribus iisque fortissimis Italiae populis de obtinendo principatu summa virium contentione bellum gerebant. Itaque Appius Claudius, vir strenuus et acer, data hac opportunissima cum artium civilium in intestinis dissidiis exercendarum, tum in bellis cum hostibus ducis munere fungendi occasione, totum se dedit rei publicae et per omnes honorum gradus ad dignitatum culmen evectus plurimis rebus egregie gestis de civibus optime meruit.

Primum rei publicae capessendae gradum Appius Claudius fecisse putandus est tribunus militum, quo militari munere ter eum functum esse scimus [5]. Sed nondum certus honorum ordo in re publica Romana eo tempore praefinitus neque certi aetatis anni praescripti erant, quibus munera publica adire liceret, quod insequenti demum tempore lege Villia annali (573 a. U. c.) factum est. Legimus M. Valerium Corvum aetatis anno vicesimo tertio consulem fuisse anno Urbis c. 406, iterum anno Urbis c. 408, tertium anno U. c. 411, quartum anno U. c. 419, aedilem curulem creatum anno U. c. 414, eoque munere pluries

1) Cic. ad Famil. 3. 7. 3. ullam *Appietatem* aut *Lentulitatem* valere apud me plus quam ornamenta virtutis existimas? De Tiberio Tacitus Annal. I, 4. scribit, eum veterem atque insitam Claudiae familiae superbiam retinuisse.

2) Inscriptio apud Orellium T. I. pag. 146. Nro. 539. Fasti Capitolini in Appii Claudii censura a. U. 442. Frontinus de aquae ductibus 5.

3) Dictaturam gessit anno 337 a. Ch.

4) Tribunus militum consulari potestate fuit anno 403 a. Ch.

5) Cf. Inscript. apud Orell. l. l.

insequenti tempore functum esse. Similiter M. Claudius Marcellus primum tribunus fuit, tum praetor, consul, iterum tribunus, deinde aedilis. Ita Appium Claudium Caecum censuram egisse, tum bis consulem creatum, deinde praetorem factum esse constat. [1]

Quibus et quoties singulis muneribus publicis functus sit Appius Claudius Caecus, ex Inscriptione, titulum honorum Appii continente, cognoscimus, quam ob magnum quod habet momentum totam huc transcribo.

„APPIUS CLAUDIUS C. F. CAECUS CENSOR COS. BIS. DICT. INTERREX III. PR. II. AED. CUR. II. Q. TR. MIL. III. COMPLURA OPPIDA DE SAMNITIBUS CEPIT. SABINORUM ET TUSCORUM EXERCITUM FUDIT. PACEM FIERI CUM PYRRHO REGE PROHIBUIT. IN CENSURA VIAM APPIAM STRAVIT. ET AQUAM IN URBEM ADDUXIT. AEDEM BELLONAE FECIT."

Haec inscriptio declarat, fuisse eum censorem, bis consulem, dictatorem, ter interregem, bis praetorem, bis aedilem curulem, quaestorem, ter tribunum militum.

In referendis singulis Appii Claudii magistratibus ad certos annos multum operae posuit Pighius in Annalibus Romanis; sed quum de plurium magistratuum, quos gessit, tempore prorsus nihil certi constet, Pighii coniecturas silentio praeterire satius duxi. Solum id pro certo affirmare possumus, Appium Claudium censuram egisse anno Urbis c. 442 (a. Ch. 312), consulem eum fuisse primum anno U. c. 447 (a. Ch. 307), iterum anno Urbis c. 458 (a. Ch. 296), munus interregis obiisse anno Urbis c. 455 (a. Ch. 299), praeturaque functum esse anno Urbis conditae 459 (a. Ch. 295). De tempore, quo Ap. Claudius Caecus dictus sit dictator, Niebuhrius coniecturam a vero fortasse non alienam proposuit, qua eius dictaturam in annum U. c. 462 (a. Ch. 292) incidere statuit.

Iam singuli Appii Claudii magistratus nobis perlustrandi sunt, ut appareat, qualis is vir fuerit quasque res domi militiaeque in singulis, quibus functus est, magistratibus gesserit.

Primo igitur loco dicendum est de eius *censura*, plurimorum veterum scriptorum monumentis celebrata.

Amplissimus apud Romanos honor fuit censurae, rei a parva origine ortae, quae deinde tanto incremento aucta est, ut morum disciplinaeque Romanae penes eam regimen, senatus equitumque centuriae, arbitrium formulae censendi, decoris dedecorisque discrimen sub ditione eius magistratus, publicorum ius privatorumque locorum, vectigalia populi Romani sub nutu eius atque arbitrio essent. [2]

M. Valerio Maximo et P. Decio Mure coss. anno Urbis c. 442 (a. Ch. 312) Appius Claudius Caecus, antequam consul fuisset, censor factus est cum C. Plautio Venoce. [3]

Iam in lectione senatus Appius Claudius, imperioso superboque animo vir, rei publicae institutorum a patribus acceptorum contemtorem se praebuit eo, quod prava lectione senatorium ordinem deformavit, potiores aliquot lectis praeteriit eamque lectionem sine

1) Goettling Geschichte der römischen Staatsverfassung von Erbauung der Stadt bis zu C. Cäsars Tod. pag. 371.

2) Livius IV., 8. Goettling röm. Staatsverfassung u. s. w. pag. 328 sqq.

3) Fasti Capitolini ad hunc annum. Livius IX, 29. Frontinus de aquae ductibus 5 (edit. Dederich). Diodorus XX, 36, qui vero in anno initae censurae errat. Cf. Fischeri tabulas chronologicas historiae Romanae pag. 59 ad a. U. 442.

recti pravique discrimine ad gratiam libidinemque fecit. Primus enim Appius Claudius in censura *libertinos* [1]) quoque in senatum legit [2]), qua infami atque invidiosa lectione senatum viris indignis inquinavit. Diodorus l. l. de hac re ita: *κατέμιξε δὲ καὶ τὴν σύγκλητον, οὐ τοὺς εὐγενεῖς καὶ προέχοντας τοῖς ἀξιώμασι προσγράφων μόνους, ὡς ἦν ἔθος, ἀλλὰ πολλοὺς καὶ τῶν ἀπελευθέρων υἱοὺς ἀνέμιξεν· ἐφ' οἷς βαρέως ἔφερον οἱ καυχώμενοι ταῖς εὐγενείαις.*

Verum in hac libertinorum turba sibi concilianda Appius Claudius non acquievit, sed ut vires factionis suae contra eam optimatium partem, quam ex nobilibus plebeiis in senatum lectis constitisse coniecerim, quantum maxime posset, augeret, in lustratione equitum nemini equum ademit, in senatorum etiam recensione nullum ex indignis senatoribus ordine movit, quod fere a censoribus factitari solebat. Quam rem Diodorus hisce expressit verbis: *καὶ κατὰ μὲν τὴν τῶν ἱππέων δοκιμασίαν οὐδένος ἀφείλετο τὸν ἵππον, κατὰ δὲ τὴν τῶν συνέδρων καταγραφὴν οὐδένα τῶν ἀδοξούντων συγκλητικῶν ἐξέβαλε, ὅπερ ἦν ἔθος ποιεῖν τοῖς τιμηταῖς.*

Sed consules, qui eum annum secuti sunt, C. Junius Bubulcus et Q. Aemilius Barbula (anno U. c. 443), quum invidia ducti pravae senatus lectionis ab Appio factae, tum quod nobilitati gratificari volebant, senatum cogebant non quem ille legerat, sed eum citaverunt eo ordine, qui aute censores App. Claudium et C. Plautium fuerat. Livius addit, Ap. Claudii collegam C. Plautium ob hanc infamem atque invidiosam senatus lectionem verecundia victum magistratu se abdicasse intra annum et sex menses, quod legitimum fuit censurae tempus, itaque Ap. Claudium iam inde antiquitus insitam pertinaciam familiae gerendo solum censuram obtinuisse. [3]) Quum vero Appius magnam ea ex re sibi cumulatam videret apud nobiles invidiam, favore plebis se contra patriciorum inimicitias praemunire conatus est.

Itaque postquam in curia non adeptus est, quas petierat, opes urbanas, *humilibus* per omnes tribus divisis forum et campum secundum Livium [4]) corrupit, ut haec forensis Appii Claudii factio in comitiis propter nimias vires dominaretur. Paulo aliter Diodorus rem narrat: *ἔδωκε δὲ τοῖς πολίταις ἐξουσίαν ἐν ὁποίᾳ τις βούλεται φυλῇ τάττεσθαι καὶ τὴν ἐξουσίαν ὅποι προαιροῖτο τιμήσασθαι*, i. e. Appium Claudium potestatem fecisse civibus, ut ubi ubi liberet censerentur et cuilibet tribui se aggregarent. Iam quaeritur, quosnam potissimum Livius voce *humiles* indicare voluerit. Significantur ii, quos Livius et Valerius Maximus [5]) forensem *factionem* dixit vel *turbam* eorum, qui erant in Urbe sine agris et fundis, et *libertini*, quos ab Appio Claudio Caeco per omnes tribus distributos, a Q. vero Fabio Maximo tribubus rusticis motos et in quatuor tribus urbanas coniectos esse ex Plutarcho Public. 7, Aurelio Victore, Valerio Maximo, Livio apparet. [6]) Hanc enim forensem turbam Appius

---

1) De vi vocabuli *libertinus* vide Goettlingium pag. 142.
2) Livius epit. lib. IX. IX. 30. 46. Aurelius Victor de viris illustribus cap. 34. Suetonius in Claudio 24. Diodorus l. c.
3) Livius IX. 30, 33. Diodor. l. c.
4) Livius IX. 46.
5) Vide locos pag. 7 nota 3 laudatos.
6) Cf. pag. 7 not. 3. Walter Römische Rechtsgeschichte pag. 121 sq.

Claudius per tribus diviserat, in cuius manu (abundabant enim multitudine) comitia essent.

Ita Appius Claudius censor eos, qui per manumissionem ex servis liberi facti civitatem sine suffragio ad hoc tempus usque obtinuerant, plena civitate donavit, idemque auctor novi ordinis libertinorum factus est, qui priore tempore extra tribus et classes inter aerarios fuerant. [1]) Distribuendo libertinos in singulas XXXI tribus numerum plebeiorum, qui iam per se satis magnus erat, magnopere auxit, ut plebi gratificaretur, postquam in invidiam senatorii ordinis incurrit. Ex hoc inde tempore libertini in centuriis sunt et sacramento adiguntur, quanquam non omni tempore id factum esse constat. Attamen magistratibus fungi nondum iis licebat, sed scribae plerumque magistratibus Romanis attribuebantur, quorum opera hi in muneribus publicis uti solebant. Itaque Cn. Flavius, Appii Claudii scriba, libertino patre ortus, aedilis non esset creatus anno Urbis 450, nisi tabulam posuisset et iurasset se scriptum non facturum. [2])

Ex hoc tempore, quo per Appium Claudium censorem humillimi per omnes tribus divisi sunt, in duas partes discessit civitas Romana. Aliud integer populus, fautor cultorque bonorum, aliud forensis factio tenebat, donec Q. Fabius Maximus Rullianus cum P. Decio Mure anno U. c. 450 censor factus seditionis finiendae gratia, quam comitia in humillimi cuiusque potestatem redacta accenderant, omnem illam forensem turbam excretam in quatuor tantummodo tribus descripsit easque urbanas appellavit. Quo saluberrimo instituto vir alioquin bellicis operibus excellens, *Maximus* cognominatus est. [3])

Silentio non praetereundam esse censeo in Appii Claudii et C. Plautii censura rem ad religionem pertinentem, Appii Claudii censoris dissidium dico cum collegio tibicinum, quibus epulandi decantandique in publico ius ademit. [4]) Sed haec res altius repetenda est.

Iam antiquitus Romae a Numa rege novem collegia vel corpora opificum, fabrorum tignariorum, aerariorum, fidicinum, cornicinum, liticinum, tubicinum, aliorum, instituta erant, qui omnes ad clientium numerum pertinebant. Haec collegia publica auctoritate instituta, divisa in decurias, suos praesides habebant, privata sacra et iura. [5]) Primum locum in his collegiis tenebant tibicines. Per tibicines enim numina publica placabantur, in precationibus, celebraudis funeribus, in immolandis maioribus hostiis, in omnibus supplicationibus in sacris aedibus adhibebantur. Quare iam antiquissimis rei publicae Romanae temporibus magnus eorum usus fuit et magnus semper iis honor habitus est. [6]) Plura diversis temporibus iura et privilegia hi sacerdotes (nam sacerdotibus Festus eos adnumerat s. v. tibicines)

---

1) Goettling. pag. 141, 373 sq. Walter R. Rechtsgeschichte pag. 121.
2) Livius IX. 46.
3) Valerius Maximus II. 2, 9. Livius epit. lib. IX. IX. 46. Aurelius Victor de viris ill. cap. 32. Plutarch. in Pompeio cap. 13.
4) Aurelius Victor de viris illust. cap. 34.
5) Plutarch. in Numa cap. 17. Adde Ruperti Handbuch der Römischen Alterthümer I. pag. 470 sqq. Göttling pag. 129, 195. Drumann Geschichte Roms u. s. w. T. II. pag. 240.
6) Ovid. Fast. VI. 657 sqq.

nacti sunt. Celebrabant festum *tubilustria* [1]) dictum, statis diebus conveniebant ad aedem Minervae [2]); permissum iis erat ludos publicos facere atque vesci in Capitolio, inter publicas privatasque ferias, actiones, concentus edere et Urbem vestitu quo vellent personatis temulentisque pervagari. [3]) Inde tracta erat licentia.

Qui quum ab Appio Claudio censore, severo harum rerum iudice, vetarentur vesci in Capitolio, quod prisco more factitaverant, cumque iis ademtum esset ius in publico decantandi, secessionem fecerunt iratique uno agmine omnes Tibur se contulerunt. Quorum ministerio senatus deserta quum sacra non aequo animo ferret, nec quisquam Romae esset, qui sacrificiis praecineret, a Tiburtinis per legatos petiit, ut eos gratia sua Romanis templis restituerent. Tiburtini benigne polliciti primum adcitos eos in curiam hortati sunt, ut reverterentur Romam. Postquam perpelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingeniis hominum eos aggrediuntur. Die festo alii alios per speciem celebrandarum cantu epularum invitant, et vino, cuius avidum ferme genus est, [4]) oneratos sopiunt, atque ita in plaustra somno vinctos coniiciunt ac Romam deportant. Nec prius sensere, quam plaustris in foro relictis plenos crapulae eos lux oppressit. Tunc concursus populi factus impetratoque, ut manerent, datum est, ut triduum quotannis ornati cum cantu atque hac, quae nunc solemnis est, licentia per Urbem vagarentur, restitutumque in aede Iovis vescendi ius iis, qui sacris praecinerent. [5])

Hanc pristini honoris restitutionem factam huiusque lusus ius tibicinibus datum esse a C. Plautio, Appii Claudii in censura collega, et quidem invito Appio Claudio verbis certissimis Ovidius indicat (v. 685 sqq.):

Plautius, ut possent specie numeroque senatum
  Fallere, personis imperat ore tegi;
Admiscetque alios: et, ut hunc tibicina coetum
  Augeat, in longis vestibus ire iubet.
Sic reduces bene posse tegi: ne forte notentur
  Contra collegae iussa redisse sui.

Horum collegiorum iura et privilegia insequenti tempore ob factiosorum hominum coe-

1) Ovid. Fast. V. 725. Varro de L. L. pag. 197 Spengel.

2) Varro de L. L. pag. 199. Quinquatrus minusculae dictae Juniae Idus ab similitudine maiorum, quod tibicines tum feriati vagantur per urbem et conveniunt ad aedem Minervae. Festus pag. 101 et 169 edit. Lindemann.

3) Censorinus de die natali cap. 12. Livius IX. 30. Valerius Maximus II. 5, 4. Dio Cassius 49. 15, 18.

4) Schlosserus in Universalhist. Uebersicht der alten Welt T. II. P. 1 pag. 478 non inepte hos tibicines cum nostris „Dorfmusikanten" comparat.

5) Hanc rem lepidissimam narrant Ovidius in Fastis VI. 657 sqq. Valerius Maximus II. 5. 4. Livius IX. 30. Plutarch. Quaest. Rom. T. VII. pag. 122 sq. ed. Reisk. Etiam nummis hanc rem expressam esse discimus a Vaill. Plaut. Nr. 5. Eckhel. 5. pag. 276. Ursin. pag. 200, quos locos Drumannus T. II. pag. 241 n. 28 indicavit.

tus senatusconsultis et legibus sublata aut imminuta esse, Drumannus in vita P. Clodii [1]) optime docuit.

Alia haud parvi momenti res, quae ad Deorum cultum pertinet, ab Appio Claudio censore immutata haec est.

Fama est, antiquissimis temporibus duas familias Potitiorum et Pinariorum sacrorum Herculis ritum edoctas et ad ministerium dapemque adhibitas sacra eius ad Aram Maximam fecisse. Ibi ita evenisse, ut ad tempus praesto essent Potitii iisque exta apponerentur, Pinarios extis adesis ad caeteram venisse dapem; inde institutum mansisse donec Pinarium genus fuerit, ne extis solemnium vescerentur. [2]) Eius sacri per multas aetates antistites fuerunt Potitii et Pinarii idque sacerdotium harum familiarum hereditarium permansit usque ad Appium Claudium censorem. Quum vero temporibus Appii Claudii verendum esset, ne ob paucitatem gentis Potitiorum et ob magnos horum sacrorum sumtus antiquissima haec Romanorum sacra una cum hac familia interirent [3]), Ap. Claudius censor (nam censoribus sacrarum quoque rerum cura fuit) Potitiis quinquaginta millia aeris gravis dedit eosque illexit, ut accepta pecunia servos publicos ministerii delegandi causa edocerent ritum sacrificandi, atque etiam mulieres admitterent. Ita Appio Claudio auctore solemne familiae Potitiorum ministerium sacrorum Herculis ad humile servorum publicorum genus translatum est. [4]) Quo facto narrant, quod dimovendis statu suo sacris religionem facere posset, Herculem detractae religionis suae et gravem et manifestam poenam exegisse: intra breve temporis spatium omnem familiam Potitiorum [5]), quae prior in sacris habebatur, extinctam esse atque ita sacra penes Pinarios resedisse eosque tam religione quam etiam pietate edoctos mysteria fideliter custodisse, censorem vero Appium memori Deorum ira luminibus captum esse. Inde cognomen Caeci cum accepisse. Sed caecus si factus est vel in ipsa censura vel paulo post censuram gestam, quomodo tot tantosque magistratus caecus gerere potuit? Non est, quod moneam, graviter eos errare, qui existimant, eum vel in censura vel statim post censuram Deorum ob iram luminibus captum esse, neque fides habenda est Diodoro [6]) narranti, Appium Claudium abdicato magistratu invidiam senatus reformidantem caecitatis simulatione domi se continuisse. Quid in hac re verum sit, post alios viros doctos Drumannus [7]) docuit demonstrans, Appium Claudium aetate iam provectum caecitate afflictum esse, veteresque Romanos hanc oculorum calamitatem ut gentis Potitiorum interitum ex Deorum ira derivantes ad priora censurae eius tempora retulisse. Unum

1) Tom. II. pag. 241.

2) Livius I. 7. Dionys. Halicarn. Archaeol. lib. I. pag. 102 sq. Reisk.

3) Goettling. pag. 178 sq.

4) Livius IX. 29. 34. Valerius Maximus I. 1. 17. Aurel. Victor de viris illust. 34. Festus pag. 200 et 207 edit. Lindemann. Macrob. Saturnal. III. 6. Aurel. Victor de orig. gent. Roman. cap. 8. Servius ad Virgil. Aen. 8. 269. Lactantius II. 8.

5) Scriptores in numero Potitiorum et in temporis spatio discrepant.

6) Diodor. XX. 36 in fine.

7) Drumann. T. II. pag. 170 sq.

hoc, quum esset caecus, memoratu dignum gessit, quod pacem cum Pyrrho, Epirotarum rege, a Romanis fieri nolebat. Quam rei explicationem et Livii verba post *aliquot* annos et aliorum veterum scriptorum loci confirmant, quos Drumannus attulit.

Venio nunc ad alias res ab Appio Claudio in censura gestas easque gravissimas. Insignem apud suos gratiam et apud posteros famam duobus maxime operibus ab ipso cognominatis meruit, *via et aqua Appia.* Ac priore quidem loco de aqua, tum de via Appia dicam.

Diu Roma sine aquae ductibus erat. Tiberis et si qui fontes nativi erant, sufficiebant populo nondum sic adaucto. Urbe deinde magna facta populus Romanus non solum ad potum, sed etiam ad balnea, ad fullonicas, ad naumachias et circos aqua egebat. Quare aqua quaesita et uberrime in Urbem inducta est, ut quisque vel domi vel in vicinia eius copiam haberet.

De his aquae ductibus, qui quam maxime urbis Romae magnificentiam auxerunt, verissime Plinius Hist. nat. XXXVI. 15. 24: Quod si quis diligentius aestimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis, villis, spatioque advenientis exstructos arcus, montes perfossos, convalles aequatas, fatebitur, nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum. Et Julius Frontinus, qui singulari libello aquae ductus descripsit §. 16: Tot aquarum tam multis necessariis molibus pyramidas videlicet otiosas compares aut inertia, sed fama celebrata opera Graecorum? [1])

Primus aquam per tubos et canales in fornicibus latericiis in Urbem induxit Appius Claudius censor (a. U. 442) per milliaria circiter undecim. [2]) Eius aquae venas primus invenerat Appii Claudii collega C. Plautius, cui ab illo studio inquisitarum eius aquae venarum *Venocis* cognomen datum est. Sed quia is intra annum et sex menses deceptus a collega tanquam idem [3]) facturo (si Frontino fidem habemus) abdicavit se censura, nomen aquae ad Appii tantum honorem pertinuit, qui multis tergiversationibus extraxisse censuram traditur, donec et viam Appiam et huius aquae ductum consummaret. Praeter Eutropium [4]) eiusque metaphrasten Paeanium Pomponius in Digestis [5]) aquam, quam censor Appius in Urbem induxit, *Claudiam* vocat, quae vulgo Appia vocabatur, ut distingueretur ab aqua Claudia Imperatoris Claudii.

In descriptione aquae Appiae Frontinum ducem sequamur, quo nemo fuit in describendis aquis diligentior. Concipitur in agro Lucullano, via Praenestina inter milliarium VII. et VIII. diverticulo sinistrorsus passuum DCCLXXX. [6]) Humilior oritur, ita ut, quod

---

1) Beschreibung der Stadt Rom. T. I. pag. 195 sqq. Lipsius de magnitudine Romana lib. III. cap. 11. Ruperti Handbuch der R. Alterthumskunde T. I. pag. 196 sqq.

2) Frontin. de aquae duct. 5. Livius in epit. lib. IX. IX. 29. Diodor. XX. 36. Aurel. Vict. de viris ill. cap. 34. Cicero p. Caelio 14, 34. Festus pag. 24 Lindem.

3) Ita Codices Frontini. C. F. Heinrichius ex coniectura: *invidiam.*

4) Eutrop. II. 9. Metaph. Paean. pag. 549. Verheyk.

5) Digest. I. 2, §. 36.

6) Frontin. 5.

ad altitudinem attinet, octavum locum inter novem aquas, quas Frontinus describit, occupet. [1]) Ductus eius habet longitudinem a capite usque ad Salinas, qui locus est ad portam Trigeminam, passuum $\overline{\text{XI}}$. CXC [2]); subterraneo rivo passuum $\overline{\text{XI}}$. CXXX; supra terram substructione et arcuato opere proxime portam Capenam passuum LX. Conceptacula id est piscinas non habebat. [3]) Iungitur ei ad Spem Veterem in confinio hortorum Torquatianorum et Plautianorum ramus Augustae, ab Augusto in supplementum eius additus, imposito cognomine respondenti Gemellarum. Rivus Appiae sub Coelio monte et Aventino actus emergit infra clivum Publicii ad portam Trigeminam, sub quo distribui incipit Appia. [4]) Adscriptum esse ei in commentariis modum quinariarum DCCCXLI Frontinus [5]) tradit, addens eam erogasse quinarias DCCIV, extra Urbem quinarias tantummodo V, et reliquas quinarias DCXCIX intra Urbem divisas esse per regiones II, VIII, IX, XI, XII, XIII, XIV in castella XX. [6]) Servio Sulpicio Galba cum L. Aurelio Cotta coss. [7]) a. U. 608 cum Appiae Anionisque ductus vetustate quassati privatorum etiam fraudibus interciperentur, datum est a senatu negotium Marcio, qui tum praetor inter cives et peregrinos ius dicebat, eorum ductuum reficiendorum ac vindicandorum. Post M. Vipsanius Agrippa [8]) aedilis anno U. 719 ductus Appiae aliarumque aquarum paene dilapsos restituit et singulari cura compluribus salientibus aquis instruxit Urbem.

Alterum Appii Claudii censoris opus maxime celebratum, cuius reliquias ad hunc usque diem peregrinatores maxima admiratione dignas habent, fuit *via Appia* ab ipso munita.

Non est dubium, quin in praestantissimis operibus et ex quibus maxime apparent imperii Romani opes ponendae sint viarum munitiones a Romanis factae. [9]) Vias Romani maxime ad militarem usum non in Urbe solum, sed paene per totum orbem terrarum in remotissimas usque terras et quidem excisis vel perfossis montibus vallibusque repletis muniverunt. Stupor omnes tenet, qui vel unam Appiam considerant, post viam Latinam inter omnes primam, quam Appius Claudius censor medio bello Samnitico secundo a porta Capena usque ad Campaniae urbem Capuam per stadiorum mille amplius intervallum faciendam curavit. [10]) Neque ulterius potuit, cum nec ulteriores tunc fines Romani essent. Propagatis vero imperii Romani finibus iamque totam inferiorem Italiae partem complectentibus, vias

---

1) Frontin. 18.

2) Diodorus l. l. aquae Appiae longitudinem 80 stadiorum attribuit.

3) Frontin. 22.

4) Frontin. 5. 22.

5) Frontin. 65.

6) Frontin. 79.

7) Frontin. 7.

8) Frontin. 9.

9) Beschreibung Roms u. s. w. Bd. 1 pag. 157 sqq. Ruperti T. I. pag. 119 sq. 126. Lipsius de magnit. Rom. lib. III. cap. 10.

10) Frontin. 5. Inscriptio apud Orellium l. l. Livius epit. lib. IX. IX. 29. Diodor. XX. 36. Procop. bell. Goth. I. cap. 14. Cicero, Festus, alii.

quoque produci necesse erat; itaque via Appia Brundusium usque producta est. Quis autem longius et Brundusium usque eam produxerit, C. Julius Caesar, quem constat curatorem viae Appiae fuisse magnosque sumptus in hanc viam impendisse, an Augustus, qui plerasque vias in Italia munivit an alius, in incerto est. Munitam esse Brundusium usque ex Strabone, Itinerariis aliisque veteribus scriptoribus cognoscimus. Minime igitur Aurelio Victori [1]) accedere possumus, qui Appium Claudium viam Appiam Brundusium usque lapidibus stravisse tradit; nam loca illa eo tempore hostilia aut aliena Romanis fuerunt, neque Appius Claudius totum viae opus in censura quinquennali perficere potuit, cum tantum opus neque unius hominis neque unius aetatis esset. Illud facile crediderim cum Niebuhrio, Drumanno aliisque viris doctis, Appium Claudium censorem fundamenta tantum huius viae posuisse, valles complevisse, montesque perfodisse, et licet eam non totam perduxerit et perfecerit, tamen viam ab ipso nomen accepisse. Magnam cum ad hoc opus tum ad aquam in Urbem ab ipso ductam pecuniae vim ex aerario senatus iniussu insumsit Appius eoque communis emolumenti studio immortalem sui memoriam reliquit. [2]) Fuit enim haec ratio ac magnitudo animorum in antiquis illis Romanis, ut, quum in privatis rebus suisque sumptibus minimo contenti, tenuissimo cultu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent. Initio sine stratura haec via ab Appio Claudio facta esse videtur; paucis annis post secundum Livium [3]) Cn. et Q. Ogulnii aediles curules semitam saxo quadrato a Capena porta ad Martis straverunt. Deinde anno U. c. 460 ab aedilibus curulibus via a Martis silice ad Bovillas perstrata est. [4]) Continuatum vero perfectumque totum opus, cuius vestigia et reliquiae hodie multis locis comparent, temporibus post finitum bellum Punicum secundum adscribendum esse ex Livio [5]) coniicere licet. Is enim narrat, censores Q. Fulvium Flaccum et A. Postumium Albinum anno U. c. 578 vias sternendas silice in Urbe, glarea extra Urbem substruendas marginandasque primos omnium locavisse, pontesque multis locis faciendos.

Ut via Appia praeter Latinam fuit antiquissima, ita fuit nobilissima cum praestantia operis et longitudine, tum frequentia eorum qui iter in ea faciebant quoties in ulteriorem Italiam et Graeciam Asiamque Romanis erat eundum aut inde redeundum. Frequentiam facile cognoscas ex praecipuis urbibus et mansionibus inter Urbem Romam et Brundusium in via Appia sitis. Erant autem Aricia, Forum Appii, Terracina, Fundi, Minturnae, Sinuessa, Capua: inde Caudium, Beneventum, Canusium, Barium, Egnatia, Brundusium. Praestantia operis satis apparet ex ea descriptione, quam apud Procopium legimus.

Is saeculo p. Ch. sexto *reginam* viarum [6]) Appiam hisce describit verbis: Viam Appiam

1) Aurel. Victor. de viris illust. 34.
2) Diodor. l. l. Schlosser U. Ueberſicht u. ſ. w. II. 1. pag. 470 sq.
3) Livius 10, 23.
4) Livius 10, 47.
5) Livius 41, 27.
6) Statius II. 2. 12 Appia longarum teritur regina viarum.

diebus quinque emetitur vir expeditus. Ab urbe enim Roma ad Capuam pertinet ea latitudine, ut adversa inter se plaustra duo libere commeent. Omnium maxime spectabilis est. Molares enim et natura praeduri sunt lapides omnes; quos certe Appius e remota aliqua lapicidina illuc convexit, cum vicinus ager nullos ferat eiusmodi. Eos autem levigatos in planum et angulatos apte commisit, non inserto aere aliave re quapiam. Adeo tamen firma compage haerent itaque coeunt, ut spectantibus non arte coagmentati, sed natura congeniti videantur. Et quamvis per tot saecula frequentibus plaustris ac iumentis quibuslibet quotidianum iter praebuerint, tamen nec ab ordine vel minimum cesserunt, nec fractus quisquam est nec minutus nec pristinum nitorem amisit. [1])

Haec erant duo insignia opera, quae Appius Claudius censor cum C. Plautio collega inchoavit quidem, sed unus perfecit. Nam Appius Claudius circumactis decem et octo mensibus anno U. c. 443, quod lege Aemilia [2]) finitum censurae spatium temporis fuit, cum C. Plautius collega ob infamem atque invidiosam senatus lectionem verecundia victus [3]) magistratu se abdicasset, vel quod veri similius videtur, deceptus ab Appio Claudio tanquam idem facturo, [4]) ut solus viam et aquae ductum consummaret, nulla vi compelli ut abdicaret poterat et iam inde antiquitus insitam pertinaciam familiae gerendo solus censuram obtinuit. Ita ex ea familia, quae velut nata litibus cum tribunis ac plebe erat, certamen ortum est. P. Sempronius Sophus, [5]) qui tum tribunatum gerebat, finiendae censurae intra legitimum tempus actionem suscepit non popularem magis quam iustam, nec in vulgus quam optimo cuique gratiorem. Quum longa oratione habita tribunus censorem Ap. Claudium minime parentem prehendi et in vincula duci iussisset, adprobantibus sex tribunis actionem collegae, tres adpellanti Appio auxilio fuerunt, summaque invidia omnium ordinum solus censuram gessit. [6]) Nec prius dimoveri honore potuit, quam consul cum L. Volumnio Flamma, viro de plebe, quem decem annis post iterum collegam in consulatu habuit, factus est. In quibus-

1) Procop. l. l. de itinere Belisarii: *ὁ δὲ διὰ τῆς Λατίνων ὁδοῦ ἀπῆγε τὸ στράτευμα, τὴν Ἀππίαν ὁδὸν ἀφεὶς ἐν ἀριστερᾷ, ἣν Ἄππιος ὁ Ῥωμαίων ὕπατος ἐνναχοσίοις ἐνιαυτοῖς πρότερον ἐποίησέ τε καὶ ἐπώνυμον ἔσχεν. ἔστι δὲ ἡ Ἀππία ὁδὸς ἡμέρων πέντε ἀνδρὶ εὐζώνῳ· ἐκ Ῥώμης γὰρ αὕτη ἐς Καπύην διήκει. εὖρος δέ ἐστι τῆς ὁδοῦ ταύτης ὅσον ἁμάξας δύο ἀλλήλαις ἐναντίας ἰέναι, καὶ ἔστιν ἀξιοθέατος πάντων μάλιστα· τὸν γὰρ λίθον ἅπαντα μυλίτην τε ὄντα καὶ φύσει σκληρὸν ἐκ χώρας ἄλλης μακρὰν οὔσης τεμὼν Ἄππιος ἐνταῦθα ἐκόμισε. ταύτης γὰρ δὴ τῆς γῆς οὐδαμῆ πέφυκε. λείους δὲ τοὺς λίθους καὶ ὁμαλοὺς ἐργασάμενος, ἐγγωνίους δὲ τῇ ἐντομῇ πεποιημένος, ἐς ἀλλήλους ξυνέδησεν, οὔτε χαλκὸν ἐντὸς οὔτε τι ἄλλο ἐμβεβλημένος. οἱ δὲ ἀλλήλοις οὕτω τε ἀσφαλῶς συνδέδενται καὶ μεμύκασιν, ὥστε ὅτι δὴ οὐκ εἰσὶν ἡρμοσμένοι, ἀλλ' ἐμπεφύκασιν ἀλλήλοις, δόξαν τοῖς ὁρῶσι παρέχοντες καὶ χρόνου τριβέντος συχνοῦ δὴ οὕτως ἁμάξαις τε πολλαῖς καὶ ζῴοις ἅπασι διαβατοὶ γενομένοι ἐς ἡμέραν ἑκάστην οὔτε τῆς ἁρμονίας παντάπασι διακέκρινται οὔτε τινὶ αὐτῶν διαφθαρῆναι ἢ μείονι γενέσθαι ξυνέπεσεν, οὐ μὴν οὐδὲ τῆς ἀμαρυγῆς τι ἀποβαλέσθαι.*
2) De lege Mam. Aemilii dictatoris cf. Goettling. pag. 330 et Fischeri tab. chronol. ad a. U. c. 320 a. Ch. 434.
3) Livius IX. 29.
4) Frontin. 5.
5) Livius IX. 33.
6) Livius IX. 34. Aurel. Vict. 34: Censuram solus omni quinquennio obtinuit.

dam tamen Annalibus Livius [1]) se invenisse tradit, Appium Claudium censorem petisse consulatum, comitiaque eius ab L. Furio tribuno plebis interpellata esse, donec se censura abdicaret.

Incidit prior hic Appii Claudii cum L. Volumnio Flamma consulatus in annum U. c. 447 (ante Ch. 307). [2]) Ne Q. Fabio Maximo Rulliano, cui ob res in Etruria feliciter gestas priore anno populus consulatum prorogaverat, [3]) ob egregie perdomitos Umbros in suum quoque annum prorogaretur imperium a senatu, maxime adversatus est Appius Claudius, sed frustra. Pigghius in Annalibus Romanis hanc Appii contentionem cum Q. Fabio Maximo respexisse putat Aurelium Victorem cap. 34, quum scriberet: ne Fabius solus in bellum mitteretur, contradixit. Quod mihi non aeque verisimile videtur. Crediderim potius, eum Aurelii Victoris locum ad tempus praeturae Appii Claudii pertinere, quo unus dux adversus quatuor populos rebelles non suffecturus videbatur.

Quum Lucio Volumnio consuli novum bellum Sallentini hostes decernerentur, isque pluribus secundis proeliis factis, aliquot urbes hostium vi caperet, Q. Fabius Maximus vero proconsul ad Allifas cum Samnitibus confligeret iisque ingenti proelio fusis victoriam obtineret, Appius Claudius Romae mansit, ut urbanis civilibusque artibus [4]) opes suas augeret, quando belli decus penes alios esset. Nec quidquam eo magistratu memoria dignum ab Appio Claudio gestum traditur. [5])

Quantum his temporibus in comitiis valuerit Appius Claudius eiusque forensis factio, quamque acriter hic vir et eloquentia et scientia iuris praestantissimus adversus nobilitatem certaverit, ex eo iudicari poterit, quod insigni eius opera Cn. Flavius, Appii Claudii scriba, patre libertino natus, ceterum callidus vir et facundus, postquam iuravit, se scriptum non facturum, aedilis curulis factus est (anno U. c. 450, a. Ch. 304). [6])

Non a re alienum videtur, horum amborum virorum merita de iuris civilis apud Romanos scientia hoc loco paucis exponere. Constat ius civile apud Romanos per multa saecula inter sacra caerimoniasque Deorum immortalium in penetralibus pontificum abditum solisque pontificibus notum fuisse, quod illi, qui huic scientiae praefuerunt, obtinendae augendaeque potentiae suae causa, pervulgari hanc legis actionum rationem nolebant. Et fere multorum annorum spatio populus hac consuetudine usus est. Postea quum Appius Claudius forenses actiones, quibus inter se homines disceptarent, ad formulam redegisset [7]), Cn. Flavius, scriba eius, aedilis curulis factus, hortatu Appii Claudii, cum ingenti

---

1) Livius IX. 42.
2) Livius l. l. Fasti Capitol. Cassiodor. Anonym. Noris. Fasti Siculi. Diodor. XX. 45.
3) Livius IX. 41.
4) Livius IX. 42. X. 15 fin. 22.
5) Ap. Claudium et L. Volumnium coss. et insequentis anni 306 a. Ch. consules Q. Marcium Tremulum et P. Cornelium Arvinam Piso in Annalibus numero exemit: memoriane fugerit in digerendis annalibus, an quod falsos eos putaverit, incertum est. Livius IX. 44.
6) Livius IX. 46. Diodor. XX. 36 fin.
7) Digest. I. 2. 6.

nobilitatis indignatione invitis patribus ius civile evulgavit, fastosque (quos dies consultando assidue sagaci ingenio excerpserat) paene toto foro in albo exposuit, ut quibus diebus lege agi in foro liceret, quibus non liceret, omnes scirent, neve egerent, si quid iure agere vellent, ope iuris consultorum, qui eas formulas tanquam mysteria omnes celabant. [1]) Pomponius in Digestis l. l. Flavium surreptum Appii Claudii librum populo tradidisse narrans addit, hunc librum appellatum esse ius civile Flavianum, licet Cn. Flavius de suo nihil addiderit libro, adeoque gratum populo Cn. Flavii munus fuisse, ut tribunus plebis factus sit et senator et aedilis curulis. Illud non ambigitur, Appium Claudium et Cn. Flavium hac iuris civilis fastorumque publicatione plurimum contribuisse ad imminuendam frangendamque nobilitatis potentiam, eosque fundamentum posuisse plebeiae libertatis adversus nobilium superbiam, et in universum de tota re iudiciaria apud Romanos optime meruisse.

Eodem illo anno U. c. 450, quo Cn. Flavius aedilis creatus est a forensi illa Appii Claudii factione, qui senatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat forumque humilibus per omnes tribus divisis corruperat, a Q. Fabio Maximo Rulliano censore omnem forensem turbam excretam libertinosque in quatuor tribus urbanas coniectos esse, supra in Ap. Claudii censura monuimus.

Quum iam post multa acerrimaque inter patricios plebeiosque certamina plebeiis ad omnes fere honores aditus pateret, honoribusque consularium triumphaliumque plebeiorum nihil praeter sacerdotia, quae nondum promiscua erant, deesset, certamen iniectum est inter primores civitatis, patricios plebeiosque, a tribunis plebis Q. et Cn. Ogulniis, rogationem promulgantibus (anno U. c. 454, a. Ch. 300) M. Valerio Corvo, Q. Appuleio Pansa coss., ut quum quatuor augures, quatuor [2]) pontifices ea tempestate essent, quatuor pontifices, quinque augures, de plebe omnes, adlegerentur, ut homines plebeii patricios divinis quoque rebus procurandis adiuvarent, neve patricii soli iustum imperium auspiciumque domi militiaeque haberent. [3])

Hac quoque in re Appius Claudius iterum, cum paucis annis ante in imminuenda pontificum auctoritate acerrimus Cn. Flavii adiutor fuisset, nobilitati plebeiae infestissimum se praebuit. Nam praeter ceteros suadenda dissuadendaque lege inter Appium Claudium maxime certatum ferunt et inter P. Decium Murem, Appio Claudio summis viribus contendente, ne sacerdotia cum plebeia nobilitate communicarentur plebeiisque manibus sacra sua polluerentur, P. Decio Mure contra causam plebeiorum defendente, quum iam decemviri sacris faciundis, carminum Sibyllae ac fatorum populi Romani interpretes, antistites aliarum caerimoniarum plebeii essent. [4])

---

1) Livius IX. 46. Plin. H. N. XXXIII. 1, 6. Valer. Maxim. II. 5, 2. Macrob. Saturnal. I. 15. Cicero p. Muraena cap. 11, de oratore I. 41, ad Atticum VI. 1. Gell. 6. 9. Göttling pag. 184 sq. 360. Minus veri similiter nonnullos ex his scriptoribus narrare, Cn. Flavium *post* publicatos fastos gratia plebis aedilem creatum esse, Drumannus iudicat T. II. 173 n. 92.
2) Praeter pontificem maximum.
3) Livius X. 6. Göttling p. 375, 205. Walter R. Rechtsgeschichte pag. 178 sq.
4) Livius X. 7. 8.

Sed frustranea fuit Appii Claudii contentio. Ad extremum P. Decius Mus obtinuit, ut lege ingenti consensu accepta plebs quoque in partem sacerdotiorum admitteretur, creatique sunt pontifices suasor legis P. Decius Mus cum tribus aliis. [1])

Proximo anno U. c. 455, a. Ch. 299 M. Fulvio Paetino et T. Manlio Torquato coss. (nec traditur causa) interregnum initum est, quo munere iterum Appii Claudii animus nobilitati plebeiae infestus apparuit. Livius narrat, interreges fuisse Appium Claudium, dein P. Sulpicium; eum comitia consularia habuisse, creavisse L. Cornelium Scipionem, Cn. Fulvium consules. [2]) Discrepat ab hac Livii narratione Cicero, qui in Bruto [3]) scribit, M' Curium Dentatum, tribunum plebis, interrege Appio Claudio, comitia contra leges habente, quum de plebe consulem non acciperet, patres ante auctores fieri coegisse. Multum operae in conciliandis Livii verbis cum Ciceronis loco posuerunt Livii interpretes, sed parum felici successu id factum esse constat. Ac primum quidem explicandum erit, quid Cicero verbis *interrege Appio Caeco comitia contra leges habente* significare voluerit. Ad declarandam eius sententiam facit locus Asconii Pediani ad Ciceronis Milonianam 5, ubi haec legimus: Post biduum medium, quam Clodius occisus erat, interrex primus proditus est M. Aemilius Lepidus. *Non fuit autem moris, ab eo, qui primus interrex proditus erat, comitia haberi.* Comparatis atque inter se iunctis Livii, Ciceronis et Asconii Pediani locis rem optime explicuisse videtur Drumannus [4]) ita disserens: Appius Claudius primus interrex comitia consularia habuit, quanquam non moris fuit, id a primo interrege fieri, sed ab alio quodam insequentium interregum. Causa cur id faceret, sine dubio ea fuit, quod ambos consules patricios creari voluit; sed tribunus plebis M' Curius Dentatus id effecit, ut secundo interrege praeside comitia iterum haberentur, patribus ante eius rei auctoribus factis. Ita alter consulum plebeius creatus est. Huc respicit Auctor de viris illust. cap. 34, ubi de Appio Claudio haec legimus: ne consulatus cum plebeiis communicaretur, acerrime restitit. Quae verba si ita intelligis, ut scripta sunt ab Auctore de viris illustribus, falsa sunt, nam multis iam annis ante lege Licinia consulatus cum plebeiis communicatus erat; id potius Appius Claudius agebat, ut plebeios hoc honore excluderet, id quod secundo quoque consulatu suo efficere conatus est, de quo nunc nobis dicendum est.

Triennio post, tempore gravissimi belli tertii, quod Romani cum Samnitibus, Etruscis aliisque validissimis Italiae populis gesserunt, Q. Fabio Maximo, P. Decio Mure coss. (anno U. c. 457), quum Q. Fabius Maximus, qui rem in Samnio bene gesserat, comitiorum consularium causa Romam profectus esset et primo vocatae Q. Fabium consulem dicerent

---

1) Livius X. 9.
2) Livius X. 11.
3) 14, 55. Possumus Appium Claudium suspicari disertum, quia senatum iam iam inclinatum a Pyrrhi pace revocaverit: ... M' Curium, quod is tribunus plebis, interrege Appio Caeco, diserto homine, comitia contra leges habente, quum de plebe consulem non accipiebat, patres ante auctores fieri coegerit; quod fuit permagnum, nondum lege Maenia lata.
4) Drumann. II. pag. 173.

omnes centuriae, Appius Claudius consularis candidatus, vir acer et ambitiosus, cuius infestum nobilitati plebeiae animum supra vidimus, non sui magis honoris causa, quam ut patricii recuperarent duo consularia loca, quum suis, tum totius nobilitatis patriciae viribus incubuit, ut se cum Q. Fabio consulem crearent. Quum vero Fabius, omni nobilitate orante, ut ex coeno plebeio consulatum extraheret, maiestatemque pristinam tum honori, tum patriciis gentibus redderet, consulatum nihilominus recusasset, seque nihil contra leges facere velle dixisset, L. Volumnius de plebe cum Appio Claudio consul est factus, priore item consulatu inter se comparati (anno U. c. 458 a. Ch. 296). [1]) Nobilitas obiectare Fabio, fugisse eum Appium Claudium collegam, eloquentia civilibusque artibus haud dubie praestantem.

Res quum ita se haberet, parum concordiae inter ambos novos consules Appium Claudium et L. Volumnium intercedere poterat, idque eo minus, cum L. Volumnius strenuus belli dux haberetur eamque militaris virtutis gloriam bello cum Samnitibus rebus egregie gestis denuo comprobaret, Appius Claudius vero pace quam bello melior minus scite aut fortunate rem gereret Etruriaeque tumultus vix sine auxilio L. Volumnii comprimeret. Meliore tamen atque liberaliore animo erga Appium Claudium fuisse L. Volumnium postea ex eo cognitum est, quod adpetente tempore comitiorum L. Volumnii opera Ap. Claudius factus est praetor. [2])

Eo anno, quo L. Volumnius et Appius Claudius consules erant, veteres quoque consules prorogato in sex menses imperio bellum in *Samnio* gerere iussi sunt. Murgantia, valida urbs Samnii, Ferentinum et Romulea oppugnatae, multaque millia hominum aut caesa aut capta sunt. Ceterum cuius ductu auspiciisque haec gesta sint, inter auctores ambigitur. Quidam annales Murgantiam a Decio, a Fabio Ferentinum Romuleamque oppugnatas tradunt; sunt, qui hanc gloriam novis consulibus L. Volumnio et Appio Claudio vindicent. Quidam non amborum, sed alterius, L. Volumnii hanc gloriam faciunt: ei Samnium provinciam evenisse. [3]) In tanto veterum annalium dissensu equidem nihil decernere ausim.

Interea Romanis in *Etruria* iterum ingens bellum multis ex gentibus conscitum est, cuius auctor Gellius Egnatius ex Samnitibus erat, qui Samnitum exercitum in Etruriam duxerat et cum Etruscis coniunxerat. Ea contagio quum proximos Umbriae populos traxisset, iamque Gallica auxilia mercede sollicitarentur, hoc repentino tumultu Romam perlato, quum L. Volumnius cum exercitu in Samnitibus esset, Appium Claudium primo quoque tempore cum duabus legionibus Romanis et sociorum duodecim millibus in Etruriam ire placuit, ut quosdam spectantes iam arma Etruriae populos metus Romani nominis comprimeret. Sed vix quidquam ibi satis scite aut fortunate Appio Claudio duce gestum est, et iam prope erat, ut nec duci milites, nec militibus dux satis fideret. Quum res ita se in Etruria habe-

---

1) Livius X. 15, 16. Cicero de senect. 6, 16: quum inter duos (Appii Claudii) consulatus anni decem interfuissent. Fasti Capitol. Cassiodorus. Anonym. Noris. Fasti Siculi apud Fischerum in appendice tabularum chronol. hist. Rom.
2) Livius X. 22.
3) Livius X. 17. Cf. Niebuhr. H. R. T. III pag. 429 sq.

rent, L. Volumnius pluribus castellis in Samnio captis multisque hostibus caesis cum copiis suis ad collegam Appium Claudium perrexit, quem advenientem omnes laeti acceperunt. Livius [1]) tradit, se in trinis annalibus invenisse, litteras ab Appio Claudio ad collegam L. Volumnium ex Samnio arcessendum missas esse, sed ipse in hac re nihil decernere audet, quum ea ipsa inter consules disceptatio fuerit, Appio abnuente missas a se litteras, Volumnio adfirmante, se Appii litteris adcitum esse. Utcunque res se habuit, Appium Claudium iratum aut parum grato animo collegam accepisse eiusque nimiam in ferenda ope diligentiam cavillatum esse constat. Ad haec quum L. Volumnius, si usus sui in Etruria non esset, se extemplo conversis signis abiturum declararet, tamen malle frustra operam insumtam, quam quidquam incidisse, cur bello Etrusco forsitan vix sufficeret Appius, iam legati tribunique ex Appiano exercitu abeuntem Volumnium obtestari et orare coeperunt, ut maneret, neve pravo cum collega certamine rem publicam perderet. Tandem Appius coactus, ne quieto se, Volumnii gloria victoriae foret, si suae quoque legiones Volumnium sequerentur, signum pugnae cum hostibus, quorum castra procul aberant, dedit. In medio pugnae discrimine Appius Claudius, cum ab utraque parte summa virium contentione pugnaretur, Bellonae [2]), Deae Romanorum bellicae, aedem vovit, si victoriam Romanis daret. Redintegrato proelio hostes fusi, castra oppugnata, capta, direpta sunt. Consules insignem victoriam de hostibus reportaverunt. [3])

Postquam fusis in Etruria Etruscis et Samnitibus consul L. Volumnius cum exercitu suo in Samnium rediit, quo novi tumultus exorti eum revocaverant, cum Samnites agrum Campanum popularentur, eius absentia audaciores hostes fecit. [4]) Itaque Etrusci bellum redintegraverunt eosdemque quos antea populos sollicitaverunt et congregaverunt. Senatus hoc nuntio conterritus iustitium indici delectumque omnis generis hominum haberi iussit. Interea crebrae litterae consulis Appii Claudii ex Etruria Romam perlatae sunt, monentis, ne ingravescens Etruriae bellum negligerent: quatuor gentes conferre arma, Etruscos, Samnites duce Gellio Egnatio, Umbros, Gallos. Ob hos motus simulque comitiorum habendorum causa L. Volumnius consul Romam revocatus est. Hoc tam turbido belli Etrusci tempore adstipulante inprimis L. Volumnio absentes creati sunt consules duo viri, nati militiae factisque magni, saepe alias collegae, Q. Fabius Maximus Rullianus et P. Decius Mus;

1) Livius X. 18.
2) Livius X. 19. Votum bello Etrusco Bellonae aedem Appium Claudium fecisse patet ex Inscriptione ap. Orellium, quam supra apposui, et ex Ovid. Fast. VI. 201 sqq. Aedificata erat aedes Bellonae extra Urbem in regione nona haud procul a Campo Martio ante portam Carmentalem iuxta circum Flaminium. In hoc templo senatus dabatur iis, quos in Urbem admittere nolebant Romani. (Livius XXVIII. 9, 38. XXX. 21 extr.) Ante aedem Bellonae posita erat columella, quae bellica vocabatur, supra quam hastam iaciebant bellum indicturi, quia cum olim Romani bellum indicebant finitimis populis, fetialem mittere solebant, qui in eorum fines hastam iaceret, eaque caerimonia bellum indiceret. Prolato deinde imperio, cum locus non inveniretur, ubi is hastae iaciendae ritus fieret, columnam ad id ante aedem Bellonae consecraverunt. Cf. Ovid. l. l. Servius ad Aen. IX. 53. Festus s. v. Bellona ibique Odof. Mülleri nota pag. 33. Walter Römische Rechtsgeschichte pag. 49.
3) Livius X. 19. Inscript. ap. Orell. Aurel. Vict. de viris illust. cap. 34.
4) Livius X. 20, 21.

L. Volumnio prorogatum in annum imperium est. Volumnii opera Appium Claudium absentem creatum esse *praetorem*, virum callidum, solertem, iuris atque eloquentiae consultum, ad iura reddenda et ut Urbi praesidem haberent Livius tradit [1]); minus vere fortasse ex Niebuhrii sententia [2]) quod ad causam cur Appius potissimum praetor creatus sit, attinet; nam non tam eloquente iurisque perito viro tum temporis opus erat Romanis, quam strenuo belli duce, talemque Appium Claudium in Samnio se praestitisse mox apparebit. Fuit is praeturae Appii Claudii annus ab Urbe condita 459, a. Ch. 295.

Q. Fabius Maximus, alter consulum, cui, litteris Appii Claudii praetoris de periculo ac magnitudine belli ex Etruria allatis recitatisque, Etruria provincia data erat [3]), in hanc terram cum exercitu profectus est et ad oppidum Aharnam, unde haud procul hostes erant, ad castra Appii praetoris perrexit. Milites, quod is Imperator sibi missus esset, consulem Q. Fabium Maximum laeti et alacres acceperunt. Qui quum Appii castra duplici vallo munita videret, vallis revulsis et disiectis milites spem salutis in armis habere docuit. [4]) Praetor Appius Claudius Romam dimissus mox, ut quosdam auctores esse Livius tradit, eodem Fabium retraxit, terrorem belli Etrusci (id quod per litteras assidue fecerat) in senatu et apud populum augens, vel, ut alii volunt, Fabius ad consultandum, quantis bellum administrandum copiis et quot per duces esset, sua sponte Romam rediit. Omnium rerum arbitrium et a populo et a senatu et ab ipso collega P. Decio Q. Fabio Maximo permissum est. Livius addit, fuisse, quibus non satis fuerit certamina inter collegas exponere; adiecisse eos et Appii criminationes de Fabio absente ad populum, et pertinaciam adversus praesentem consulem praetoris Appii. Nobis eventum rei indicasse sufficiet. Maxima ad Sentinum in Umbria clade eo anno victi sunt hostes, neque minus celebrata est Q. Fabii Maximi victoria, quam P. Decii Muris praeclara pro patria mors. [5])

Rebus in Etruria ita peractis adversus Samnites agrum Campanum populantes Appius Claudius cum exercitu Deciano missus est.

Samnitium legiones quum partim Appius Claudius praetor, partim L. Volumnius pro consule (cui Samnium provincia data erat) sequeretur, in agrum Stellatem convenerunt. Ibi et Samnitium omnes legiones considunt et Appius Claudius Volumniusque castra coniungunt. Pugnatum est ab utraque parte infestissimis animis; ingens Samnitium numerus caesus est, nec Romanis incruenta fuit victoria. [6])

Iam expositis iis rebus, quas Appius Claudius exercituum Romanorum dux in Etruria et Samnio gessit, reliquum est, ut pauca de eius dictatura addam. Supra, ubi de singulis magistratibus, quibus Appius Claudius functus est, egi, indicavi, incertum esse tempus

1) Livius X. 22.
2) Niebuhr Röm. Geschichte T. III. pag. 436 not. 30.
3) Livius X. 24.
4) Zonaras T. II. pag. 41 edit. Basil. 1557. Livius X. 25.
5) Livius X. 30.
6) Livius X. 31. Ad Appii Claudii consulis et praetoris res adversus Etruscos et Samnites gestas respicit Inscriptio supra laudata: „complura oppida de Samnitibus cepit, Sabinorum et Tuscorum exercitum fudit“ et Aurelius Victor cap. 34: Sabinos, Samnites, Etruscos bello domuit.

gestae ab Appio Claudio dictaturae, cuius mentionem facit Inscriptio apud Orellium. Tamen silentio non praetereundam esse censeo Niebuhrii coniecturam, in Historia Romana propositam, qua is Appii dictaturam non sine specie veri anno Urbis c. 462 (a. Ch. 292) adscribit. [1]) Nam cum consul Q. Fabius Gurges, Q. Fabii Maximi Rulliani filius, anno U. c. 462 male rem adversus Samnites gessisset et a Samnitibus victus castrisque exutus esset, senatus vero de removendo eo ab exercitu ageret, cumque praeterea gravi pestilentia tertio iam anno in Urbe laboraretur, et alter consul D. Junius Brutus Scaeva adversus Faliscos rebellantes novos hostes missus esset: hoc tam turbido rei publicae Romanae tempore ex more dictatorem dici oportebat, ne res publica sine praeside esset, qui ea quae ex usu essent provideret. Dictum autem esse Appium Claudium dictatorem Niebuhrius non temere suspicatur.

Venio nunc ad extremam Appii Claudii vitae partem, qua maxime excelluit auctoritate animique gravitate.

Quum Appius Claudius iam aetate grandis oculorum calamitate afflictus a publicis muneribus vacaret domique se contineret, neque tamen languescens senectuti succubuisset, sed, ut Ciceronis verbis utar, animum intentum tanquam arcum haberet, bellum incidit gravissimum, quod Romani cum Tarentinis et cum Pyrrho, rege Epirotarum, gesserunt, quo bello praeclara Appii Claudii virtus animusque ab omni inhonesto abhorrens emicuit. Romanis magno proelio profligatis (anno U. c. 474, a. Ch. 280) rex Pyrrhus legationem Romam mittere statuerat eique legationi praefecerat Cineam, virum quum rerum civilium gnarissimum, tum summa facundia praestantem, qui pacis amicitiaeque conditiones Romanis proponeret. Petebat autem, ut iisdem foederibus Tarentini comprehenderentur; ceteri Graecorum, Italiam incolentium, liberi et suis legibus agerent; Samnitibus, Apulis, Lucanis, Bruttiis, quae erepta a Romanis essent, redderentur, Romani captivos sine pretio reciperent. Cineas quum Romam venisset, callido consilio moras nectens, priusquam senatum adiret, munera passim per virorum illustrium domos Pyrrhi nomine misit. Introductus deinde in curiam, quum regis virtutem et propensum in Romanos animum multis extollens de conditionum, quas afferret, aequitate disseruisset, magna pars senatus mota est et iam ad pacem cum Pyrrho foedusque faciendum inclinabat. Accedebat, quod super cetera, si socios suos oppugnare desinerent, tanta auxilia pollicebatur Pyrrhus, ut eorum ope haud difficulter imperium ceterae Italiae possent acquirere. Sed quoniam ob magnitudinem rei, sollicitis patribus, multos in dies extracta deliberatio pacis futurae suspicionem rumoremque fecerat in Urbe, Appius Claudius Caecus, auditis iis, domi se continere non potuit, sed in curiam se deferri iussit. Latus igitur est lectica per forum. Ubi ad ianuam curiae pervenit, filii simul generique suscipientes eum stipantesque in senatum duxerunt. Quum senatores ad conspectum tanti senatoris obmutuissent, ille, ubi suo loco constitit, orationem illam gravissimam habuit [2]), qua societatem cum rege Pyrrho ut parum salubrem iniri

1) T. III. pag. 466.

2) Tempus habitae ab Appio Claudio orationis Cicero de senect. 6, 16 his verbis indicavit: atque haec ille egit septem et decem annis post alterum consulatum.

dissuasit, senatum a Pyrrhi pace revocavit [1]), animosque civium ad belli studium traduxit, ut severissimae sententiae auctorem secuti uno consensu Patres bellum prosequendum esse decernerent, Cineamque eodem die Urbe excedere et Pyrrho renuntiare iuberent, neque recipi eum in Urbem (nam et hoc petitum fuerat), neque nisi ex Italia recessisset, de amicitia et societate cum populo Romano agi posse. Populum Romanum in eum bellum gesturum esse, vel si mille consules vicisset. Itaque Cineas legatus admiratione plenus reversus quaerenti Pyrrho respondisse fertur, regum se patriam et consessum vidisse, talesque esse omnes Romanos singillatim, qualis unus Pyrrhus in Epiro et in reliqua Graecia haberetur, et adversus Lernaeam quandam hydram pugnari, tantum esse et militum et populi numerum [2]).

Idem Appius Claudius Caecus, qui turpissimas Pyrrhi conditiones magnifica oratione discussit, etiam de Pyrrhi captivis sententiam severissimam in curia dixit, eoque suasore senatus eos cives, qui a Pyrrho capti et postea remissi erant, his quassatis et attritis rei publicae Romanae viribus militari quadam ignominia notaverunt. Decreverunt autem, ut ex iis qui equo meruerant, peditum numero militarent, qui pedites fuerant in funditorum auxilia transcriberentur, neve quis eorum intra castra tenderet, neve locum extra assignatum vallo aut fossa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet. Recursum autem iis ad pristinae militiae ordinem proposuerunt, siquis bina spolia ex hostibus tulisset. Quibus suppliciis compressi, ut Valerii Maximi verbis utar, ex deformibus Pyrrhi munusculis acerrimi hostes exstiterunt. [3]) Salubre Appii Caeci consilium fuisse, eventus probavit. Nam pace desperata Romani animos iterum ad bellum converterunt, ad quod continuandum intenta cura tanti apparatus facti sunt, ut paucis annis post Pyrrhus rex bello victus et Italia expulsus sit.

Interiecto paucorum annorum spatio Appium Claudium Caecum, Pyrrhi bello iam grandem, vita excessisse, credibile est. Quatuor filios reliquit, Appium Claudium Crassum, P. Claudium Pulchrum, Caium Claudium Centonem, Tiberium Claudium Neronem (a quo genus traxit Tiberius Nero [4]) Caesar, Imperatorum Romanorum secundus), et quinque filias Claudias. [5])

Superbus plebique infestus patris animus etiam in liberos transisse videtur, quorum P. Claudius Pulcher primo bello Punico consul, contra auspicia profectus, iussis mergi pullis, qui cibari nolebant, infeliciter adversus Carthaginienses classe pugnavit et revocatus

1) Inscript. ap. Orell. Liv. epit. lib. XIII. Cicero de senect. 6. 16. Brut. 14, 55. 16, 61. Philip. I. 5, 11. Aurel. Vict. de vir. ill. 34. Valer. Max. VIII. 13, 5. Sueton. Tib. 2. Florus I. 18, 20. Justin. 18. 2. Eutrop. II. 13. Ovid. Fast. VI. 203. Digest. I. 2 §. 36. Plut. Pyrrh. 18 sq. an seni sit gerenda res publ. T. IX. pag. 172 sq. Reisk. Appian. ex lib. III. Samnitic. X. Eclog. 2 sq. Zonaras T. II. pag. 47 edit. Basil. 1557.

2) Plutarch. Pyrrh. l. l. Justin. l. l. Florus l. l. alii.

3) Valerius Maximus II. 7, 15. Frontin. Strategem. IV. 1, 18. Zonaras l. l. Eutrop. II. 18. Digest. III. 1. §. 5.

4) Sueton. Tib. 3.

5) De his singulis vide Drumann. T. II. pag. 175 sqq.

a senatu iussusque dictatorem dicere, Claudium Gliciam dixit, sortis ultimae hominem. Claudia vero, P. Claudii Pulchri soror, a ludis revertens, quum turba premeretur, utinam frater meus, inquit, viveret iterumque classem duceret! [1])

Sed quum exprimere imaginem consuetudinis atque vitae Appii Claudii Caeci velimus, nihil videmur debere praetermittere, quod pertineat ad eam declarandam. Quare in fine huius commentationis de Appii vita locum apponam Ciceronis, qui in laudanda Appii Claudii gravitate ac domestica disciplina multus est, nec fortasse iniuria. Apud Ciceronem [2]) de Appio Claudio Caeco haec legimus: Quatuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat et caecus et senex: intentum enim animum tanquam arcum habebat nec languescens succumbebat senectuti. Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant; vigebat in illa domo mos patrius et disciplina.

Expositis iis, quae de Appii Claudii vita rebusque gestis a veteribus scriptoribus traduntur, reliquum est, ut pauca dicam de praeclaro eius litterarum excolendarum studio.

Appius Claudius talis vir inter suos exstitit, ut non modo officio boni strenuique civis abunde satisfecerit, sed etiam ut nulla litterarum studia, quae quidem summis viris digna essent, omiserit, imo quaedam litterarum genera inter Romanos primus felicissime excoluerit. Floruit enim eloquentiae laude, excelluit scientia iuris civilis, atque adeo in arte poetica ei eximiam laudem concedendam esse crediderim.

Inter viros disertos et eloquentes antiquioribus rei publicae Romanae temporibus, quibus bellicosa gens Romanorum omnia in agendo, nihil fere in dicendo ponebat momenti, Appium Claudium eloquentiae nomine celebratissimum fuisse accepimus. [3]) Pluribus locis Cicero et Livius [4]) eximiam eius eloquentiam laudant eumque iuri disceptando natum praedicant. Nec parvi ad eius eloquentiam laudibus efferendam momenti est, quod Isidorus in Originibus tradit, Appium Claudium Caecum primum inter Romanos prosa oratione usum esse. [5]) Licet minus accurata sint Isidori verba, hoc certe comprobare videntur, inter antiquissimos prosae orationis scriptores Romanos neminem Appio Claudio Caeco eloquentia clariorem fuisse, eumque primis eloquentiae Romanae conditoribus adnumerandum esse. Quanta fuerit eloquentiae eius gravitas, cum saepe alias cognitum est, tum praecipue in dissuadenda pace Pyrrhi, de qua supra diximus. Scripta adhuc exstabat Appii Caeci oratio de foedere cum Pyrrho habita Ciceronis [6]) tempore, neque equidem video, cur ea,

---

1) Livius epit. lib. XIX.

2) De senectute XI. 37. Adde Valer. Maxim. VIII. 13. 5. Cic. Tuscul. V. 38, 112.

3) Ellendt. hist. eloq. Roman. §. 6.

4) Cic. Brut. 14, 55 de senect. 6, 16. Livius X. 15 fin. 19, 22.

5) Origg. I. 37, 2. pag. 62 Lindemann. Praeterea tam apud Graecos quam apud Latinos longe antiquiorem curam fuisse carminum quam prosae. Primus apud Graecos Pherecydes Syrus soluta oratione scripsit; apud Romanos autem Appius Caecus adversus Pyrrhum solutam orationem primus exercuit. Iam exhinc ceteri prosae eloquentiam condiderunt.

6) Cic. de senect. 6, 16: Ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam, ut caecus esset: tamen is, quum

quae Plutarchus in Pyrrho tradit, ad sententias quod attinet, non genuina habeamus. [1]) Ipsae enim familiae quasi ornamenta ac monumenta et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam tales orationes servare solebant.

Orationem ipsam Appii Caeci non habemus, sed imaginem quandam orationis ab oratione vere habita non abhorrentem ex Ennii versibus laudatis, ex Plutarcho et Appiano fingere possumus. [2]) Namque Appius apud Plutarchum in vita Pyrrhi cap. 19, quem locum in Latinum convertimus, ab incommodo valetudinis exorsus haec fere dixisse fertur: Antea quidem, Patres Conscripti, oculorum incommodum permoleste ferebam; nunc autem doleo, quod non ultra caecitatem ipsam etiam surdus sim, quum foeda vestra consilia audiam et decreta, quae urbis Romae gloriam subvertunt. Ubi enim vestra illa apud omnes mortales semper iactata oratio, si venisset in Italiam magnus ille Alexander atque arma cum iuvenibus nobis et cum parentibus nostris florentibus contulisset, eum non ut invictum nunc gloriam relaturum, sed aut fuga sua aut hic cadentem Romam nobilitaturum fuisse. Hanc igitur verborum insolentiam et iactantiam ostenditis inanem esse, qui Chaonas et Molossos, perpetuam Macedonum praedam, formidatis et expavescitis Pyrrhum, qui unum ex Alexandri satellitibus semper secutus est ac coluit. Et nunc non tam incolentibus Italiam Graecis opem ferens, quam hostes illic fugiens vagatur in Italia, nobis principatum se paraturum ostendens hisce copiis, quae ad exiguam Macedoniae partem ipsi conservandam non suffecerunt. Itaque hunc non removebitis, si amicum feceritis, sed illos contemtu nostri invitabitis, quasi nos superare omnibus facile sit, si Pyrrhus abeat non modo non data poena eorum, quae contumeliose contra nos fecit, verum etiam si mercedem accipiat pro ludificatis Romanis Tarentinos et Samnites. [3])

---

sententia senatus inclinaret ad pacem cum Pyrrho foedusque faciendum, non dubitavit dicere illa, quae versibus persecutus est Ennius:

Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant
Antehac, dementes sese flexere viai?

ceteraque gravissime: notum enim vobis carmen est; et tamen ipsius Appii exstat oratio cet. Et in Bruto 16, 61: Nec vero habeo quemquam antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appii Caeci oratio haec ipsa de Pyrrho, et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant.

1) Ellendt. hist. eloq. Rom. l. l. Westermann Geschichte der Römischen Beredtsamkeit pag. 32 sq.

2) Oratorum Romanorum fragmenta Edidit H. Meyerus. Nr. 1.

3) *Πρότερον μὲν τὴν περὶ τὰ ὄμματα τύχην ἀνιαρῶς ἔφερον, ὦ Ῥωμαῖοι· νῦν δὲ ἄχθομαι πρὸς τῷ τυφλὸς εἶναι μὴ καὶ κωφὸς ὤν, ἀλλ' ἀκούων αἰσχρὰ βουλεύματα καὶ δόγματα ὑμῶν ἀνατρέποντα τῆς Ῥώμης τὸ κλέος. Ποῦ γὰρ ὑμῶν ὁ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους θρυλλούμενος ἀεὶ λόγος, ὡς, εἰ παρῆν ἐκεῖνος εἰς Ἰταλίαν ὁ μέγας Ἀλέξανδρος καὶ συνηνέχθη νέοις ἡμῖν καὶ τοῖς πατράσιν ἡμῶν ἀκμάζουσιν, οὐκ ἂν ὑμνεῖτο νῦν ἀνίκητος, ἀλλ' ἢ φυγὼν ἂν ἢ που πεσὼν ἐνταῦθα τὴν Ῥώμην ἐνδοξοτέραν ἀπέλιπε; ταῦτα μέντοι κενὴν ἀλαζονείαν καὶ κόμπον ἀποδείκνυτε, Χάονας καὶ Μολοσσοὺς, τὴν ἀεὶ Μακεδόνων λείαν, δεδιότες καὶ τρέμοντες Πύῤῥον, ὃς τῶν Ἀλεξάνδρου δορυφόρων ἕνα γοῦν ἀεὶ περιέπων καὶ θεραπεύων διατετέλεκε. Καὶ νῦν οὐ βοηθῶν τοῖς ἐνταῦθα μᾶλλον Ἕλλησιν ἢ φεύγων τοὺς ἐκεῖ πολεμίους πλανᾶται περὶ τὴν Ἰταλίαν ἐπαγγελλόμενος ἡμῖν τὴν ἡγεμονίαν ἀπὸ ταύτης τῆς δυνάμεως, ἢ μέρος μικρὸν αὐτῷ Μακεδονίας οὐκ ἤρκεσε διαφυλάξαι. Μὴ τοῦτον οὖν ἀπαλλάξειν νομίζετε ποιησάμενοι φίλον, ἀλλ'*

Dictio Appii fuit eiusmodi, ut Ciceronis tempore nemo paene eum legeret. Brut. 16, 61. [1]) Sed Senecae temporibus fuerunt multi, qui nimio antiquitatis studio ad Appium Claudium revertebantur. Legimus apud Senecam Epist. CXIV: Multi ex alieno saeculo petunt verba; duodecim tabulas loquuntur; Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt; ad Appium usque et ad Coruncanium redeunt. Idem fere iudicat Tacitus in dialogo de oratoribus cap. 18: Vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude praesentia in fastidio sunt. Num dubitamus inventos, qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur? Et cap. 21: Asinius quoque, quanquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse.

Verum non solum eloquentiae laude Appius Claudius inter viros suae aetatis floruit, sed etiam post Publium Papirium, qui leges regias in unum corpus contulit et Appium Claudium decemvirum, cuius maximum consilium in duodecim tabulis scribendis fuit, Appius Claudius Caecus de scientia iuris civilis apud Romanos optime meruit. Magnam enim in publicatione formularum arcanarum et fastorum pontificiorum per Cn. Flavium Appii Claudii Caeci partem fuisse, iam supra demonstravimus. Hunc etiam *actiones* scripsisse primumque de *usurpationibus* Pomponius de origine iuris (Digest. I. 2 §. 36) memoriae prodidit: „Post hunc Appius Claudius eiusdem generis maximam scientiam habuit: . . . hunc etiam *actiones* scripsisse traditum est: primum de *usurpationibus*, qui liber non exstat.“ Pomponius sine dubio id respicit, quod §. 7 dixerat, eum actiones composuisse et ad formam redegisse; quos deinde Cn. Flavius scriba eius edidit. Cf. Bachii Hist. Iurisprudent. Roman. ed. Stockmann 1807 pag. 242 et Zimmern Geschichte des Röm. Privatrechts u. s. w. T. I. pag. 266.

Appius Claudius Caecus, quem uno ore omnes disertum, eloquentem, iuris civilis gnarissimum et iuri disceptando natum dicunt, etiam primus poeta apud veteres Romanos exstitit.

Legimus, carmen quoddam ab eo relictum fuisse a Pythagoreorum institutis non abhorrens, quod Panaetius, philosophus Stoicus, quadam ad Q. Aelium Tuberonem epistola valde laudaverit. Verissime de hoc carminum genere Orellius in Addendis ad F. Aug. Wolfii scholas ad Ciceronis Tusculanas Quaestiones [1]) pag. 409 iudicat, ita disserens: Panätius kann durch Scipio Afrikanus minor damit bekannt geworden sein. Schwerlich indessen benutzte Appius Claudius etwas ähnliches Pythagoreisches, sondern es waren originelle Sittensprüche, von ihm selbst aus Anschauungen des altrömischen und seines eigenen Lebens hergenommen. [2])

Hoc carmen a Panaetio laudatum Pythagoreum colorem prae se ferens haud dubie ad Appii Claudii *sententias* vel gnomas spectat, quarum particulae quaedam a veteribus scriptoribus Romanorum servatae exstant, de quibus disputavit Spaldingius ad Quintilianum XII. 9. 9. T. IV. pag. 591.

Festus [3]) s. v. stuprum pro turpitudine antiquos dixisse apparet in Nelei carmine: „foede stupreque castigator cotidie“ et in Appii sententiis: „qui animi . . . compotem esse, ne quid fraudis stuprique ferocia pariat.“ Appii Caeci sententia haec est: qui animi vult sese compotem esse, ne quid fraudis stuprique ferocia pariat.

Pseudo-Sallustius de republ. ordin. cap. 1 init.: Sed res docuit, id verum esse, quod in carminibus Appius ait, fabrum esse quemque fortunae.

Illud quoque apophthegma, ni fallor, ex Appii sententiis est, quod exstat apud *Valerium Maximum* VII. 2, 1: Appium Claudium crebro solitum dicere accepimus, negotium populo Romano melius quam otium committi: non quod ignoraret, quam iucundus tranquillitatis status esset, sed quod animadverteret, praepotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capessendam incitari, nimia quiete in desidiam resolvi.

Ad eiusdem Appii sententias referas *Prisciani* locum lib. VIII. cap. 4. [4]) qui vulgo sic legitur: Appius Caecus: Amicum cum vides, obliviscere miserias, inimicus si es commentus, nec libens aeque commentus caeco πεπλασμένος; — sine sensu. Duebnerus [5]) legendum proponit: obliviscere miserias ex inimicis; si est commentus . . . et suspicatur imperativum in *to* in postremo vocabulo *caeco* latere! Quum Priscianus graeca voce πεπλασμένος passivum usum vocabuli *commentus* indicare voluerit, equidem mutata voce *caeco* in *graece*, receptaque Niebuhrii [6]) mutatione vocabuli *inimicus* in *amicus* totum Prisciani locum ita restituendum esse existimo: Appius Caecus:

Amicum cum vides, obliviscere miserias;
Amicus si es commentus, nec libens aeque.

Commentus, graece πεπλασμένος. —

Aliud Appii Caeci dictum exstat apud *Nonium Marcellum* [7]) s. v. Rabula: Inde et

---

ἐκείνους ἐπάξεσθαι καταφρονησάντας ὑμῶν ὡς πᾶσιν εὐκατεργάστων, εἰ Πύῤῥος ἄπεισι μὴ δοὺς δίκην ὧν ὕβρισεν ἀλλὰ καὶ προςλαβὼν μισθὸν τοῦ ἐπεγγελάσαι Ῥωμαίοις, Ταρεντίνους καὶ Σαυνίτας.

Appianus lib. III. Samnit. X. Eclog. 2 sq.

Ἠχθόμην, εἶπεν, ὅτι μὴ βλέπω· νῦν δ', ὅτι ἀκούω. τὰ γὰρ τοιαῦτα ὑμῶν βουλεύματα ἠξίουν μήθ' ὁρᾶν, μήτ' ἀκούειν· οἳ δι' ἓν ἀτύχημα ἀθρόως οὕτως ἑαυτῶν ἐκλέλησθε, καὶ τὸν τοῦτο δράσαντα, αὐτόν τε καὶ τοὺς ἐπαγομένους αὐτὸν, βουλεύεσθε φίλους ἀντὶ πολεμίων θέσθαι, καὶ τὰ τῶν προγόνων κτήματα Λευκανοῖς καὶ Βρεττίοις δοῦναι. Τί τοῦτ' ἔστιν, ἢ Ῥωμαίους ἐπὶ Μακεδόσι γενέσθαι; καὶ ταῦτά τινες εἰρήνην ἀντὶ δουλείας τολμῶσιν ὀνομάζειν. Ἀλλά τε πολλὰ ὅμοια τούτοις ὁ Ἄππιος εἰπὼν, καὶ ἐρεθίσας, εἰσηγήσατο· Πύῤῥον, εἰ δέοιτο τῆς Ῥωμαίων φιλίας καὶ συμμαχίας, ἐξ Ἰταλίας ἀπελθόντα πρεσβεύειν· παρόντα δὲ μήτε φίλον ἡγεῖσθαι, μήτε σύμμαχον, μήτε Ῥωμαίοις δικαστὴν ἢ διαιτητὴν κ. τ. λ.

1) Schlosser U. Uebersicht u. s. w. II. 1. pag. 492: die Rede des Appius Claudius gegen den Frieden mit Pyrrhus war zu Cicero's Zeit schriftlich vorhanden, er rühmt sie, wie man von seinem Patriotismus erwarten darf, er kann aber ein geheimes Nasenrümpfen dabei ebensowenig verbergen, als es der Deutsche können würde, wenn er Geiler von Kaisersberg's Beredtsamkeit unbedingt loben wollte.

1) IV. 2. 4. Mihi quidem etiam Appii Caeci carmen, quod valde Panaetius laudat epistola quadam, quae est ad Q. Tuberonem, Pythagoreum videtur.

2) Adde Schlosserum Universalhist. Uebersicht u. s. w. T. II. part. 1 pag. 489.

3) Ed. Lindemann. pag. 250. 687. edit. Odof. Müller. pag. 317.

4) Pag. 792 ed. Putsch. pag. 370 ed. Krehl.

5) In Addendis ad Ellendtii hist. eloq. Rom. pag. 10 editionis Parisinae oratorum Romanorum ab H. Meyero editorum.

6) Hist. Roman. T. III. pag. 367 not. 535.

7) Pag. 60 edit. Mercer.

Sallustius canina, ut ait Appius, facundia exercebatur. Cf. Sallust. Hist. 3, pag. 215 edit. Gerlach. min. Edit. Havercamp. T. II. pag. 129. 118. Eodem pertinet locus Quintiliani Institut. orat. XII, 9. 9: Ea est enim prorsus canina, ut ait Appius, eloquentia, cognituram male dicendi subire; quod facientibus etiam male audiendi praesumenda patientia est. Lactantius II. 8: Sed quia ipse caninam illam facundiam (sicut Sallustius ab Appio dictum refert) exercuit, voluit quoque hominem canino modo vivere, ut remordeat lacessitus. Havercampius l. l. addit locum Hieronymi Ep. ad Augustinum: sed incidit tempus difficillimum, quando mihi tacere melius fuit quam loqui ita, ut nostra studia cessarent, et iuxta Appium canina exerceretur facundia. Idem dictum repetit Hieronymus adv. Luciferianos non addito Appii nomine.

In fine huius commentationis silentio non esse praetereundam puto sententiam a pluribus viris doctis prolatam, Appium Claudium Caecum litteram R invenisse et ex eo tempore dici coeptum esse Furius, Valerius pro Fusio, Valesio. Non tamen ante Appii Caeci aetatem ignota fuit haec littera, imo in frequenti usu erat; illud factum esse potuit Appii Caeci opera, ut quibusdam in vocibus R locum litterae S obtineret. [1]) Sed tota haec quaestio pendet ex loco Digestorum I. 2. §. 36: Post hunc Appius Claudius eiusdem generis maximam scientiam habuit . . . . (de Appio Caeco sermo est). Idem Appius Claudius, qui videtur ab hoc processisse, R litteram invenit, ut pro Valesii Valerii essent et pro Fusiis Furii. Primo quidem adspectu huius loci adducimur, ut verbis *Idem Appius Claudius* nostrum Appium Claudium Caecum significari putemus; sed si accuratius locum perpendimus, facile intelligemus, verbis *qui videtur ab hoc processisse* non ipsum Appium Claudium Caecum significari, sed alium quendam Appium Claudium ex eius posteris. Ita de hac re iam iudicaverunt Forcellinus in Lex. s. litt. R, Conr. Leopold. Schneiderus in Grammat. Lat. T. I. pag. 341. Reisigius in praelectionibus de Grammat· Latin. ed. Haase pag. 60. Neque tamen cum nonnullis viris doctis dissimulaverim, haud satis integrum videri illum Pomponii locum. —

---

1) Cf. Bach. Hist. iurisprudent. Rom. 2. 2. Sect. 4. §. 16. Seyfert. Grammat. Latin. §. 127.
De usu litterae R pro S Cicero epist. ad Famil. IX. 21: Post hunc XIII. fuerunt sella curuli ante L. Papirium Crassum, *qui primus Papisius est vocari desitus*: Is dictator cum L. Papirio Cursore, magistro equitum, factus est annis post Romam conditam CCCCXV. Varro de Ling Lat. pag. 312 edit. Spengel. Festus R. pag. 134 edit. Lindemann.